1513

Sit omnibus notum quod Ego Joannes Moll maior dierum habitator parrochie de Artesa gratis et ex certa sciencia per me et meos presentes et futuros stabilio et in emphiteosim perpetuam concedo et trado ad bene videlicet meliorandum et sanandum et non in aliquo deteriorandum sed in sana pace omni tempore possidendum vobis Petro Guiard habitatori dicte parrochie de Artesa presenti et vestris in perpetuo quandam sortem terre meam quam teneo et possideo in termino dicte parrochie [illegible] teneturque dicta sors terre sub alodio et directo dominio magnifici Anthonii de Dameto domicelli Maioricarum ad laudimium et faticam prout in instrumentis inde factis continetur et affrontatur dicta sors terre ex una parte cum [illegible] que ibi est et sorte terre Michaelis [illegible] et ex alia parte cum [illegible] et ex alia parte cum vinea Anthonii Pons et ex alia parte [illegible] sorte terre Bartholomei [illegible] Boteri et ex alia parte cum vinea Sebastiani Maranet et cum vinea dicti magnifici Anthonii de Dameto. Predictum itaque stabilimentum de predicta sorte terre sub dictis affrontacionibus cum omnibus integritatibus et proprietatibus suis terminis tenedonibus et pertinenciis introitibus et exitibus suis ac etiam cum omnibus aliis universis et singulis vobis dicto Petro Guiard presenti et vestris in perpetuo facio sub tali tamen pacto et condicione quod pro censu et melioramentis inde exeuntibus detis prestetis faciatis et solvatis vos et vestri michi et meis in proxime venturo festo sanctorum Petri et Felicis mensis augusti et deinde anno quolibet in dicto festo unam quarteriam quatuor barcellas et tres almudes frumenti censuales et rendales allatas et positas intus villam de Manacor ad hospicium habitacionis mei et meorum quas possitis redimere et quitare quandocumque ame vel meis pro decem septem libris et decem solidis monete regalium Maioricarum minuto [illegible] solvendo censum prorata temporis anni redemptionis. Quasquidem unam quarteriam quatuor barcellas et tres almudes frumenti censuales quoad annuales pensiones et sive transportando domini seu proprietatis ex nunc dono et consigno Joanni Nadal dicte ville de Manacor loco illarum unius quarterie quatuor barcellarum et trium almudium frumenti censualium quas illi teneor facere anno quolibet in dicto festo sanctorum Petri et Felicis mensis augusti de unius illorum trium quarteriarum et trium barcellarum frumenti censualium et rendalium quas ego et heredes Petri Molli quondam fratris mei illi tenemur facere annuatim in dicto festo sanctorum Petri et Felicis dantes et concedens dicto Joanni Nadal et suis in dictis annualibus pensionibus omnia loca et iura mea durante dicta consignacione mandans vobis dicto Petro Guiard et vestris quatenus de predictis una quarteria quatuor barcellis et tribus almudis censualibus dicto Joanni Nadal et suis annis singulis in dicto festo sive termino durante dicta consignacione respondeatis et satisfaciatis prout michi et meis respondere et satisfacere tenemini. Quoniam ego pono dictum Joannem Nadal et suos in locum et ius meum durante dicta consignacione. In his vero non prolamentis seu eligantis vos vel vestri alium dominum seu dominos nisi tantum dictum magnificum Anthonium de Dameto et suos et me et meos in dicto censu. Liceat igitur vobis et vestris post dies decem ex quo in dicto magnifico Anthonio de Dameto fatigati fueritis vos vel vestri parte in acquisicionem vestram cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et deinceps faciendis dare vendere stabilire impignorare et alias alienare cuicumque seu quibuscumque volueritis vos vel vestri exceptis tamen militibus atque sanctis salvo tamen semper in predictis iure directo dominio alodio laudimio et fatica dicti magnifici Anthonii de Dameto et suorum et dicto censu et iure mei et meorum. Et sic promitto et convenio vobis dicto Petro Guiard et vestris quod predicta que vobis stabilio faciam vos et vestros et quos etiam volueritis semper habere tenere et possidere pacifice et quiete contra omnes personas sine engano. Et teneor ac teneri promitto et spondeo vobis et vestris firmiter de evictione et omnimodo dampno sumptibus et interesse litis et extra. Et pro predictis omnibus et singulis sic complendis et firmiter attendendis obligo vobis et vestris omnia bona mea presencia et futura obligata renuncians omnibus iuribus et legibus hiis obviantibus. Pro dictum vero [illegible] stabilimenti seu in emphiteosim concessionis confiteor et in veritate [illegible] habuisse et recepisse a vobis dicto Petro Guiard numerando viginti solidos predicte monete quitios super quibus renuncio excepcioni dicte [illegible] vare et dote interest a vobis non habite et non recepte et doli mali. Ad hec ego dictus Petrus Guiard acquisitor predictus probe [illegible] stans dictum stabilimentum de predicta sorte terre a vobis dicto stabilitore sub modis formis pactis et condicionibus predictis promitto predictum censum vos [illegible] facere et solvere et omnia alia attendere et complere que per me attendenda sunt et complenda prout superius dicta sunt et narrata et in aliquo non contrafacere vel venire aliquo iure causa vel racione sub obligacione omnium bonorum meorum presencium et futurorum obligatorum renuncians foro meo et privilegio fori submittens me et bona mea foro districtui et iurisdictioni honorabilis bajuli dicte ville et parrochie de Manacor in posse cuius promitto satisfacere illius iurisdictionem in me prorogando et consentiendo cum pedagio quinque solidorum pro qualibet die. Et super renuncio omnibus iuribus et legibus hiis obviantibus. Quod est actum in villa [illegible] parrochie de Artesa die sabbati duodecimo mensis novembris anno a nativitate domini millesimo quingentesimo decimo tertio. Signum mei Joannis Moll stabilitoris. Signum mei Petri Guiard acquisitoris predictorum qui hec laudamus concedimus et firmamus.

Testes huius sunt Michael Morgones et Raphael [illegible] habitatores dicte parrochie de Artesa in quorum presencia ambo firmarunt.